

causa: sic lex imponens pœnam furantibus certum aureos, certe comprehendit etiam furantes rem ejusdem pretii. Quod si ratio non tantum similis sit, sed omnino eadem, communis sententia affirmat, extensionem fieri debere, secundum tritum illud effatum: *ubi eadem est ratio ibi eadem currit legis dispositio*. Ratio autem est, quia mens legislatoris colligitur ex legis ratione, quæ est veluti legis anima: videtur ergo Legislator voluisse comprehendere casus omnes, ubi eadem ratio reperitur. Ita Suarez, Layman, cui subscribit Roncaglia de leg. c. 2. q. 4. Negant alii, quia ratio legis non est ipsa lex, & legislator potuit unum præcipere, alium casum non comprehendendo, licet ejusdem sit rationis, cum sæpe non expediat omnia præcipere, aut prohibere. Hæ tamen sententiæ conciliari possunt, ita ut lex de uno in alium casum extendi debeat, quando nisi extendatur, legislator argui posset vel de injustitia, vel de imprudentia; tunc enim casus ille non tam extendi dici potest, quam comprehendi in lege. Et in hoc conveniunt etiam auctores secundæ sententiæ.

73. Id autem evenire dicunt 1. in *correlativis*, ut viro, & uxore; quod enim de uno sancitum est, censetur etiam de alio, si ratio sit eadem. 2. in *æquiparatis*, ut sunt electio præsentatio, provisio ad Beneficium. 3. in *connexis*, ut sunt Diaconus, & subdiaconus. 4. in *contentis*, ut sunt Vicarius Episcopi & Vicarius Capitularis, Sede vacante; filia, & neptis. 4. in *judiciis* ex leg. 12. ff. de leg. Cum in aliqua causa est similitudo rationis, tenentur iudices juxta men-

tem legis sententiam ferre. Tandem cum lex decernit aliquid causa frequentioris usus, ipsa comprehendit etiam usum minus frequentem. Hinc lex S. Pii. V. permittens monialibus egressum propter incendium, & lepram, aut epidemiam, extenditur etiam ad ruinam domus, inundationem, & invasionem hostium, ut communis fert DD. sententia apud Mazzota Tract. de leg. disp. 2. cap. 3.

74. Reliquum est, ut pauca subjiciamus de legis epikeja, quæ definitur: exceptio alicujus casus particularis, qui ex adjunctis prudenter judicatur sub lege non comprehendi. Ut locus datur epikejæ, non solum debet lex cessare *negative*, ut ajunt, quatenus deficit finis legis, sed etiam *contrarie*, nempe quod lex reddatur in eo casu vel damnosa, vel nimis onerosa. Quare potest negari ensis depositus domino, si ille sit abusurus, ut cum S. Thoma docent Salmant. Sufficit autem in lege humana, & positiva, etiam Divina, si lex aliter redderetur nimis dura: sic ab auditione sacri excusatur, qui timet notabilem jacturam bonorum: sic lege jejunii non obstringitur, qui sine gravi valetudinis incommodo jejunare nequit.

CAPUT VII.

De Dispensationibus, & deficientia legis.

75. *Quest. 1.* Quid sit dispensatio, & quibus conveniat dispensandi potestas? R. dispensatio est relaxatio legis, seu exemptio a legis

obligatione in aliquo casu particulari, in quo lex alioquin obligaret. Potestas dispensandi alia est ordinaria, alia delegata. Potestas ordinaria est ea, quæ alicui convenit ratione sui officii; delegata, quæ alteri conceditur ab eo, qui potestatem habet ordinariam. Hæc autem conceditur vel ab homine, vel a jure. Si a jure datur, transit in ordinariam, vel ei comparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat morte concedentis. Si vero datur per simplicem commissionem, cessat mortuo delegante, si res est integra.

76. Jam vero nullus homo potest directe, & proprie dispensare in lege Divina, etiam positiva; quia inferior non potest relaxare legem Superioris; nec constat, a Deo cuiuspiam hanc esse datam facultatem. Potest tamen Papa *indirecte* aliquando dispensare, declarando, legem Dei ad has, vel illas circumstantias non se extendere; vel tollendo, aut ponendo aliquam conditionem, se tenentem ex parte materiæ, qua sublata, vel posita actiones jam non sunt a Deo prohibitæ, vel præceptæ. Atque ita *improprie* & *indirecte* dispensare dicitur in juramento, & votis, in residentia Episcoporum, in matrimonio rato non consummato, cet. Ita S. Thomas, & cum eo reliqui TT.

77. Episcopus potestate ordinaria dispensare potest in omnibus statutis, & legibus, etiam latis a Synodo Diocesana, cum Synodus hæc non sit corpus mysticum, habens jurisdictionem Episcopo superiorem. Idem potest quoque Capitulum, Sede Vacante; minime tamen Vica-

rius Generalis, nisi id expresse concedatur ab Episcopo. Potest etiam Episcopus dispensare in suis Diocesisibus circa leges, latis a Synodo Provinciali, modo non sint ipsi Concilio reservatæ; id enim expedit ad bonum commune, & videtur id tacite illis concedi ab ipsa Synodo. Dispensare quoque possunt in rebus, quæ frequenter occurrunt, puta festorum observatione, jejniis, recitatione officiorum, & similibus.

78. Archiepiscopus non potest dispensare in legibus Episcoporum suæ provinciæ, quia non habet jurisdictionem in aliena diocesi, nisi cum eam visitat, aut in eventu appellationis. In legibus Papæ neque Episcopus, neque Archiepiscopus dispensare possunt; quia inferior non habet auctoritatem circa leges Superioris. Potest autem in illis Episcopus dispensare ex tacita ipsius concessionem, qualis esse censetur circa impedimenta matrimonii, irregularitates, vota reservata, & similia, quando non est facilis aditus ad Papam, & est in mora periculum. Et in his omnibus Episcopi dicuntur dispensare jure ordinario; est enim hæc facultas eorum officio perpetuo annexa, possuntque eam aliis delegare. *Suar. Salmant.*

79. Parochi cum ovibus suis dispensare possunt circa leges jejunii, & festorum, ubi non sit facilis aditus ad Episcopum; aut ubi consuetudo vigeat dispensandi ex tacita Episcopi concessionem. Prælati Regulares non possunt in regula sua dispensare, nisi id eis concedatur, aut a *privilegio*, aut a *jure*. Porro ratione *privilegii*, quod Prælati muneri est adnexum, possunt præ-

lati, etiam inferiores dispensare. 1. in rebus levibus, quæ scilicet sub levi præcipiuntur. 2. in rebus frequentibus. 3. in statutis propriis illius domicili, cui præest. A jure autem concessa eis est facultas dispensandi in regulis, quæ non pertinent ad vota essentialia: idque tantum in aliquo eventu peculiari, & nisi eis sit interdicta expresse dispensatio.

80. *Quæst. 2.* An Episcopus dispensare possit in legibus Superioris, in quibus non sit reservata dispensatio? Affirmant Sotus, Covarruias, & hanc sententiam communem vocat S. Antoninus; quia Superior sibi dispensationem non reservans, videtur eam concedere; aliter quænam esset utilitas reservationis? Nihilominus omnino tenendam censeo sententiam negantem cum Suario, Castropalao, & Bened. XIV. quorum opinioni favere videtur D. Thomas 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. ubi ait: *in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit.* Ratio est, quia inferior nihil potest in lege superioris, ut expressum est in *Clem. II. de elect.* ubi dicitur: *lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Nec obstat allata ratio, quæ solum habet locum in censuris, quæ, nisi reservatæ sint, possunt tolli ab Episcopis, idque ex consuetudine recepta, ut ait Suarez. Talis autem consuetudo non viget in legibus aliis Pontificiis. Imo habetur in *Cap. dilectus de Ordin.* Episcopum non posse dispensare circa leges ordinationum, cum illi hujusmodi dispensatio a Canone minime sit permessa.

81. Dices: Episcopi jurisdictionem habent immediate a Deo, ut probabilis sententia docet: ergo possunt dispensationem subditis impertiri, ubi non sit eis nominatim interdicta. 2. axioma tritum est inter DD. Episcopum posse in sua Diocesi, quicquid potest Papa in tota Ecclesia. R. quicquid sit de opinione illa; nemo tamen negat, a Deo jurisdictionem Episcopis esse concessam, sed cum debita Papæ, ceu supremo capiti subordinatione. Sic nonnulli censent, Parochos circa oves suas ordinariam a Deo habere jurisdictionem; nemo tamen unus erit, qui dicat, jurisdictionem illam, quantumcumque sit, ab Episcopis non dependere. Quod attinet ad præfatum axioma, dico, vel illud non esse admittendum, vel solum esse admittendum in rebus, quæ spectant ad communem directionem animarum, quæque sunt moraliter necessariae; sed ad hunc ordinem certe non pertinent dispensationes legum Canonicarum, nisi gravis urgeat necessitas, nec commode possit conveniri Sedes Apostolica.

82. *Quæst. 3.* An qui potestatem habet ordinariam dispensandi, possit etiam secum dispensare? R. posse non solum indirecte, ut ait Suarez, committendo aliis potestatem secum dispensandi; sed etiam directe, & immediate, ut docet communis sententia; quia est jurisdictio pure voluntaria, quæ etiam erga se ipsum potest exerceri. Hinc potest secum dispensare in votis, juramento, jejunio, &c.

83. *Quæst. 4.* An peccet, qui sine justa causa dispensat? Affirmo, quia jus naturale

præscribit, ut pars conformetur toti, nisi justa causa excuset: ergo sine illa dispensans, peccat contra legem naturalem, & quidem peccato gravi, si gravis sit materia. Eadem ratione peccat subditus petens, & acceptans dispensationem sine causa; petens enim inducit superiorem ad peccandum, acceptans vero cooperatur illius peccato, quamquam multi doceant cum Salmant. Sanch. Layman; & aliis, secluso scandalo non peccare utentem dispensatione, quam Superior sine causa concessit.

84. *Quest. 5.* Validane sit dispensatio, sine justa causa scienter data? R. 1. dispensatio sine causa data a Legislatore, vel ejus Successore, aut Superiore, etsi licita non sit, valida tamen est ex communi sententia. Ratio est, quia tota obligatio legis positivæ pendet a Legislatore, & a libera applicatione juris, quod habet ad obligandum; ergo si legislator, vel qui ei cum pari potestate succedit, nolit subditum obligare, revera is non obligatur. R. 2. dispensatio inferioris in lege Superioris, si ne justa causa collata, est omnino invalida. Ratio est, quia nomine alterius sine justa causa dispensans, revera dissipat, ut ait Suarez; nec enim Superior censetur alteri concedere potestatem dispensandi, nisi justis de causis; quia nemo præsumitur velle peccare. Hinc Pontifex non potest valide dispensare in lege Dei, nec Episcopus in lege Ecclesiæ, nisi causa rationalis intersit. Hinc dispensatio in voto, & juramento, etiam data a Pontifice sine causa, est invalida.

85. *Quest. 6.* Quid si dubia sit causa? si

Superior dubitet, utrum causa dispensandi sit justa, necne, posse dispensare, tenent Sanch. Salmant. & alii; quia possidet potestas dispensativa. Si vero dubitet, an ulla sit causa, dispensare valide non potest ex contraria ratione. In dubio de valore dispensationis, validam censerit, eo quod præsumatur in favorem actus, probabile putant Salmant., & alii. Si dubitet inferior, an ratio sit sufficiens ad obtinendam dispensationem, potest illam animo sincero proponere Superiori, & obtenta dispensatione, acquiescere judicio illius, deposita dubitatione. Ita Laym. Salmant. Sanch. cum S. Thoma.

86. *Quest. 7.* An ex justa causa Superior teneatur dispensare? R. cum distinctione: si causa talis sit, quæ sufficiat ad dispensandum, ut benignius agat cum subdito; dispensatio tamen non urgeat vel ob bonum commune, vel privatum magni momenti; tunc Superior potest quidem dispensare, sed non cogitur. Ratio, quia licet dispensatio aliquam subdito utilitatem afferat, expedit tamen bono communi legis observantia. Secus vero si causa talis sit, quæ dispensationem exigat vel ratione communis utilitatis, vel etiam privatæ, quæ cedat in bonum commune. Quod si Superior etiam injuste neget dispensationem, nequit subditus agere contra legem; nisi causa tam gravis urgeat, ut illum extrahat a lege. Quare si episcopus injuste neget publicationem dispensationem ante Matrimonium, potest urgente causa, matrimonium contrahi absque solitis denuntiationibus. Ita Salmant. cum Soto, Sanch. & aliis.

87. *Quæst. 8.* An Superior, qui putat non subesse causam, quæ re vera est, valide dispenset? R. si re vera sit causa dispensandi, valida est dispensatio, licet Superior ex errore putet, causam non esse; peccat tamen ita dispensans, cum agat contra propriam conscientiam: secus vero, si inferior dispenset bona fide, sed sine causa; cum valor dispensationis, collatæ ab inferiore, non pendeat a cognitione causæ, sed ab ipsius existentia.

88. *Quæst. 9.* An valeat dispensatio per vim, aut metum extorta? Affirmo, dummodo non constet, Superiorem dispensasse sine animo sincero dispensandi, cum vis, aut metus non tollat voluntarium. Quod si metus Prælato incusus, sit injustus, illicita est obtentio dispensationis, eaque a Superiore revocari poterit; secus vero si vis, aut metus Prælato juste incutitur, puta, si subditus minatur, se ad Prælatum supremum querelas delaturum, vel justam accusationem de crimine suo aliquo laturum.

89. *Quæst. 10.* An nulla sit dispensatio per petitionem subreptitiam, vel obreptitiam obtenta? *Subreptitia* dicitur, cum veritas reticetur, *obreptitia*, cum falsum adducitur. R. dispensatio erit nulla, si taceatur veritas, quæ ex jure, vel stylo Curix debeat exprimi; vel allegetur falsum, quod de jure taceri debebat. Atque hæc sit prima regula: alia sit: valet dispensatio, si tacetur, vel falso adducitur causa, impellens tantum ad dispensandum; secus vero si causa ita est movens, ut sine ipsa Superior minime dispensasset. Vide Suarez, salmant. Quod si plu-

res causæ afferantur, quarum aliæ sint falsæ, aliæ veræ; valebit adhuc dispensatio, modo aliqua ex illis ita gravis sit, ut sufficiat ad dispensandum. Quid autem in dubio, an causa falsa falso allegata fuerit movens, an solum impellens? R. Salmant. validam esse habendam dispensationem, cum in dubio standum sit pro valore actus ex lege quoties ff. de rebus dubiis.

90. *Quæst. 11.* An valeat dispensatio, cessante causa dispensationis? R. 1. si cesset causa tantum impellens ad dispensandum, non ideo cessat dispensatio; si vero cesset causa movens, sed non ex toto, imo pars causæ maneat, sufficiens ad dispensationem, valet adhuc data dispensatio. R. 2. si post petitionem causa movens ex toto cesset, antequam concessa sit dispensatio, ista nullam vim habet; quia mens Pontificis, aliorumque superiorum non est dare dispensationem, nisi ob causam, quæ subsistat tempore, quo conceditur; alias essent iniqui dispensatores. Pariter: nulla erit, si causa non perstet eo tempore, quo Episcopus, vel confessorius, cui applicatio dispensationis committitur, vult eam executioni mandare. Est ratio; quia is, cui dispensatio committitur, non potest dispensare, nisi *examinata precum veritate*, & sub conditione, quod causa finalis subsistat; ergo si res sit integra, valida non est dispensatio, cessante finali causa; alioqui delegaretur ipsi potestas ad dispensandum sine causa existente.

91. *Resp. 3.* Cessante omnino causa finali dispensationis, perire dispensationem, affir-

mant plures DD. cum Sanchez, Dicastillo, aliisque: quia valor dispensationis pendet a voluntate Superioris, qui præsumitur nolle dispensare, nisi pro tempore, quo causa duret. Alii, quos sequuntur Salmant. negant cessare dispensationem, licet post eam obtentam, causa cesset; quia obligatio legis jam ablata per dispensationem non redit, nisi rursus imponatur a legislatore. Et confirmant ex reg. 73. de reg. Juris in 6. 16. *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari.* Utraque sententia est probabilis.

92 Dicendum tamen est, cessante causa dispensationis, valere tamen dispensationem, si fuerit ista absolute concessa: secus vero, si data fuerit sub expressa, vel tacita conditione, *quod causa perduret.* Sed quæres: quandonam subintelligitur illa conditio? R. si causa iudicetur perpetua, etsi per accidens causa cesset, censetur dispensatio absoluta. Sic irregularis, qui obtinuit dispensationem, dispensatione rite obtenta uti potest, licet postea cesset causa. Sic ille, qui dispensationem obtinuit a voto Castitatis, licet contracto matrimonio, moriatur conjux, voto rursus non ligatur Contra vero si causa censeatur solum ad tempus duratura, in dispensatione intelligitur conditio: *quamdiu causa duret*: hinc qui ob infirmitatem, quæ perpetua non creditur, obtinuit dispensationem a jejuniis, cessante infirmitate, redit obligatio jejunandi. Quid vero si quis obtineat dispensationem ab officio Divino, aut a jejuniis ob infirmitatem, quæ perpetuo duratura censebatur; pos-

tea vero recuperet valetudinem? Eum frui posse dispensatione, putant Salmant., quia non nisi ex accidenti cessante causa, dispensatio est dicenda absoluta. Sed huic opinioni non acquiesco, quia cum in his, & similibus casibus pertinentibus ad observantiam alicujus præcepti, dispensatio habeat effectum successivum, sitque virtualiter multiplex, proinde requirit causam, quæ subsistat tempore obligationis. Nec debet aliter interpretari mens dispensantis super obligatione, quæ divisibilis est, & successiva, nisi expresse aliud constet.

93. *Quæst. 12.* Quot modis potest lex deficere? R. abrogatione, derogatione, & cessatione per se ipsam. Paucis explico tria hæc. *Abrogatio* legis est totius legis abolitio, quæ solum fieri potest a Principe, vel ejus Successore, minime vero ab inferiore, nisi ex ejus concessionem. *Derogatio* est abolitio partis legis, integra manente lege in aliis partibus, & pariter hæc pertinet ad eos, ad quos pertinet ferre leges.

94. Cessat lex per se ipsam, quando inutilis redditur, aut aliis damnosa, deficiente fine adæquato legis, cum lex omnis debeat esse honesta, & utilis Communitati. Quæstio tamen est inter DD. utrum lex cesset, quando deficit finis adæquatus legis respectu alicujus privatæ personæ, licet non cesse respectu Communitatis? Prima sententia negat, quia licet cesset finis damni in particulari casu, non tamen cessat finis periculi in communi, adeoque non cessat finis legis adæquatus. His adde, mentem le-

gislatoris esse, ut lex a se lata omnes obliget, quandiu illa utilis sit Communitati, quamvis ex accidenti alicui privato non sit utilis, modo non sit ei nociva. Ita sentiunt Suarez, Soto, Salmant. quamvis contraria sententia sit etiam probabilis, & a gravissimis TT. propugnatur.

APPENDIX I.

De dispensationibus S. Pœnitentiariæ.

95. Quoniam ex officio S. Pœnitentiariæ multæ dispensationes, (& gratis quidem) impetrari possunt, saltem pro foro conscientiae, operæ pretium censui, quædam circa hujus rei proximæ pœnitentibus, & confessariis utilia hic subnectere.

Et quidem tria potissimum circa hanc rem inquiri possunt. 1. Circa materiam, & causam; in quibus nimirum casibus dispensationes istæ concedi soleant. 2. Circa formam litterarum Pœnitentiariæ, quibus dispensatio Confessario committitur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt, explicanda sunt. 3. circa ipsam executionem dispensationis; quæ nimirum in ea observanda sint.

96. R. 1. In triplici materia (pro cujus diversitate diversa quoque est forma) dispensationes istæ, seu gratiæ concedi solent.

Prima est in votis, v. g. ut votum Religionis ob inopiam parentum, vel fratrum, vel simili ex causa liceat differre: ut quis a simplici voto castitatis, vel etiam Religionis (postquam ma-

trimonium contraxit) absolvatur ad manendum in matrimonio, debitumque licite petendum: ut a voto Religionis ob debilitatem virium, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum, absolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

Secunda in impedimentis occultis matrimonii, sive ea sint impedimenta tantum, sive etiam dirimentia; sive matrimonium cum iis publice contractum sit, sive contrahendum, dummodo de eo privatim fuerit actum, & conclusum, præsertim bona fide, sive etiam quando contracto superveniunt. Circa quæ notandum 1. impedimenta occulta dici, quæ vel nulli nota sunt, vel licet uni, alterive innotuerint, ad forum contentiosum non sunt deducta. 2. etsi aliqua impedimenta, v. g. cognationis spiritualis, natura sua sint publica, cum contrahantur in facie Ecclesiæ; fieri tamen ex accidenti potest, ut sint occulta v. g. 1. ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. ob distantiam loci a loco contractæ cognationis. 3. per mortem eorum, qui fuerunt consocii. 4. per ignorantiam hujus contractionis.

Tertia in variis censuris, ut excommunicationibus, suspensionibus (item in irregularitatibus) præsertim occultis, ad absolvendum ab iis, dispensandum, rehabilitandum, cet. Item ad condonandam obligationem restitutionis ob horas Canonicas neglectas, ad commutandum onus recitationis earum, eligendum Confessarium, etiam pro reservatis; transeundum ad alium Ordinem (pro utroque foro) etiam post apostasiam a suo.